Quaestiones Nigidianae.

Publi Nigidi Figuli reliquias per ueterum scriptorum libros dispersas exstiturum aliquem qui denuo collectas et emendatas in unum corpus redigeret quamquam saepe spes nobis allata est, etiamnum ad fragmentorum collectionem reicimur, quam Janus Rutgersius abhinc CCL annos instituit. Exstiterunt quidem aliquando, qui in his fragmentis emendandis, illustrandis, edendis se uersari profiterentur, consilium postea abiecerunt. Quod maxime dolemus factum esse in homine „in omnium bonarum artium disciplinis egregio", cui alterum juxta M. Terentium Varronem locum ueteres adsignarunt. Quae res quibus ex causis repetenda sit si quaerimus, maximam uim habuisse illud uidetur, quod paucae tantum ad multifariam eius eruditionem et librorum copiam laciniae eaedemque tenuissimae ad nostram memoriam peruenerunt, ex quibus tantum abest ut hominis imaginem instauremus, ut uix si quis omnia eius uestigia undique collegerit, studiorum ambitum emetiri possit. Neque est quod speremus futurum esse ut laeta fragmentorum seges adcrescat; sentiendi dicendique genere Nigidius legentium animos deterrebat. Gellius noct. att. XVIIII. 14, 3 Varronis inquit monumenta rerum ac disciplinarum quae per litteras condidit in propatulo frequentique usu feruntur, Nigidianae autem commentationes non perinde in uulgus exeunt et obscuritas subtilitasque eorum tanquam parum utilis derelicta est. Hominis eximiam eruditionem et doctrinam cum aequales tum posteri admirati sunt et laudibus extulerunt, multa ex rerum uariarum copia quas conquisiuit reconditioris doctrinae sectatores hauserunt, hominum politiorum et elegantiorum auribus obscura illa ubertas nunquam probata est. Ne igitur temere desperemus, maxime tamen considerandum, ne propter nimium inuestigandi studium nimis confidamus. Posse etiamnum qui Nigidi uestigia acriter indagat fragmentorum tabulam locupletiorum reddere non negaverim, facillime uero in re tam lubrica animi fraude in errorem ducimur. Quare cum reprobo et reicio quae falso ei adtribuuntur, grauissimarum rationum auctoritate nixus sententiam meam aperire nullus dubito, in uindicandis quae Nigidi esse alii negant dicenti mihi quod sentio iterum atque iterum obicitur metus quidam et suboriuntur dubitationes. Sed jam ad rem ipsam quae nobis proposita est pergamus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ex Nigidio sumptam esse Gellii (noct. a. II. 22) copiosam de uentorum nominibus disputationem cum alii suspicati sunt, tum Mercklinius in fasc. suppl. III. annal. phil. class. CIↃDCCCLX. Quam sententiam cum mihi probauerit uir doctus, facere non possum quin ad Nigidium referam quae apud Ampelium c. V. leguntur. In libro enim ejus memoriali Nigidi fragmenta inesse non est cur exemplis ostendam, cum quae c. III. de XII signis traduntur consentire cum Nigidi uerbis apud scholiasten Germanici seruatis iam diu uiri docti animaduerterunt. Ampelius igitur c. V. uenti, inquit, fiunt ex aeris motu et inclinatione. sunt autem generales quattuor: eurus idem apeliotes idem uolturnus ab oriente. ab occidente zephyrus idem corus idem fauonius. aquilo boreas aparctias idem septentrio a septentrione. notus idem libs et auster et africus a meridie. hi sunt quattuor generales, ceteri speciales adscribuntur, ut iapyx zephyro, qui a Iapygio Apuliae promontorio flat, leuconotus noto, cum serenior flat, circius aquiloni, cum uehementior Galliam perflat, item etesiae, qui statis diebus flant per aestatem. Ampelius quidem quattuor uentos affert, Gellius octo, sed si ipsa uentorum nomina comparaueris, Ampeli disputationem cum Gellio et Plinio (nat. hist. II. 119, XVIIII. 76) congruere intelleges. Omissa sunt duo graeca nomina εὐρόνοτος et ἀργεστής. Rationem plane diuersam Varro secutus est, quem duodecim ventorum tabulam fecisse constat Seneca auctore natur. quaest. V. 16, ubi quae enumerantur uentorum nomina cum iis congruere quae sunt apud Isidorum de nat. rerum X. 37, jam Reifferscheidius annal. phil. class. CIↃDCCCLVIIII. p. 16 et alii docuerunt. Ventos, „qui sunt quorundam locorum proprii“ Plinius Seneca Gellius Ampelius afferunt, Ampelius autem maxime cum Gellio consentiens eo praecipue quod etesiarum hoc loco mentionem fecit. Quae uero apud Ampelium c. IIII. leguntur in Varronis uentorum tabulam quadrare uel lemma demonstrat: quibus partibus sedeant duodecim signa duodecim ventorum.

Non fugit me hæc omnia eiusmodi esse, quae haud magnam habeant auctoritatem, neque tamen pluribus uerbis in hac re commorabor aut plura dicendo quod deest auctoritatis compensare in animo est; de aliis fragmentis uideamus, de quibus facilius est judicium, quod certum quoddam adest quaestionis fundamentum, quo nixi ut in certissima causa quid uerum sit quid falsum pro certo possimus affirmare. Atque ut in Ampelio acquiescamus, quae c. II. leguntur ad Nigidium auctorem referenda esse jam supra monuimus, siue ex Nigidio ipso, quae est Buecheleri sententia (mus. Rhen. nou. XIII. 180), siue ex alio scriptore qui Nigidi libris usus erat ea transtulit, itaque suppetit nobis quo de Nigidi fragmentis, quae apud scholiasten Germanici seruata sunt, rectius iudicemus. Etenim quae schol. Germ. p. 391 ed. Eyss. de Hercule et Theseo leguntur quaeque Breysigius (emend. ad. schol. Germ.) dubitabat num Nigidi esse contenderet, esse Nigidi Ampeli verba probant: sunt qui dicant Herculem et Theseum quod si-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

milia athla sint adepti, ex quibus Nigidium hanc fabulam non omisisse constat. In scholiis autem in Caesaris Germanici Aratea Nigidi uerba libri mss. inepte scripta exhibent: sunt qui dicunt Herculem thesbium qui ee genitorum memoria populum possidere id quod duo maxime dicuntur artissimi sodalitate parique industria atque egregia uirtute decoratis a pia quae [Eyss. recte restituit: decorati sapientiaque] ceteris immortalibus restantes [Eyss. recte: mortalibus praestantes]. namque Hercules duodecim athlis perfectis, quae ab Eurystheo sunt ei imperata, propter Iunonis Iouisque certationem, immortali memoria contentionis animantibus putandae causa atque ceteris hominibus auxiliandi gratia egregios memorandosque labores perpessus eximia nobilitate præter ceteros est peruulgatus. Quæ cum corrupta esse appareret, neque a Breysigio neque ab Eyssenhardtio recte emendata sunt, quorum ille uerba: Herculem thesbium e. q. s. ita correxisse sibi uisus est: sunt qui dicant Herculem (et) Theseum esse qui geminorum memoriam publicam possident, hic: sunt qui dicunt Herculem Theseumque esse Geminos. eorum memoriam hunc locum possidere. Scribendumest, nisi fallor: s. q. d. Herculem Theseumque ob athlorum memoriam hunc locum possidere. In iis quae secuntur Eyssenhardtius dum uerbis mederi studet sententiarum rationem neglexisse uidetur, quam qui penitus perspexerit miretur necesse est, quod initio de Hercule et Theseo loquitur Nigidius, deinde Herculis res gestas laudibus effert Theseum prorsus omittit, denique addit: eorumque alter est Iouis alter Neptuni filius. Itaque non dubito quin uerba putandae causa et q. s. ad Theseum pertineant, licet quomodo uerba emendari possint nesciam.

Quodsi hanc fabulam Eyssenhardtius recte Nigidio adtribuit, in reliquis a uero longe aberrauit. In tabula enim auctorum a scholiasta excerptorum, quam in fine libri addidit, duodecim locos affert, quos scholiasten Nigidio debere sibi persuasit. Vtinam recte de his locis judicasset uir doctus, quos ego profecto primus exsisterem qui Nigidio uindicarem, si quid eum auctorem indicaret aut, nihil esset, quod quominus de eo cogitemus prohiberet. Quae p. 413, 17—19 et p. 415, 9—11 exstant frustulæ tum paruae sunt, ut certi quidquam de iis statui nequeat, nec, si quid ea disputatione efficeretur, operae pretium facturus fuerit qui Nigidi esse probasset, quare haec mittamus. Fabulam quae p. 415, 13—117, 1 de leporis sidere legitur Eyssenhardtius primum ex Hygino deinde ex Nigidio transscriptam esse judicauit. Quod si consulto factum est, grauissima exoritur quaestio, num Hyginum uel quicumque astronomica scripsit quae sub Hygini nomine feruntur, Nigidium auctorem secutus sit. In fabulis Hygini Nigidiana inesse, id quod C. Lange in dissertatione de nexu inter Hygini opera myth. et fabularum qui nomen eius prae se fert librum contendit, non nego, astronomica qui conscripsit Nigidi fragmenta seruasse aut Nigidi libris usum esse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nego. recte enim Bursianus ann. phil. class. a. CIↃDCCCLXVI p. 764 s. animaduertit, graecos quidem scriptores in astronomicis Hygini permultos, romanorum praeter Ciceronem (III. 29, IV. 3) laudari neminem. atque quattuor illi astronomicorum libri ita comparati sunt, ut non nisi graecis auctoribus Hyginum usum esse facile intelligas.

Totius quaestionis uis posita est in ea quaestione, quae est de mira illa similitudine, quae inter Hyginum, scholia in Germanici Aratea, Pseudoeratosthenis catasterismos et scholia graeca Arati intercedit, qua de multa disputarunt uiri docti, quod omnibus probetur adhuc nihil statuerunt. Quam ob rem in animo erat, totam hanc de mythographis latinis quaestionem hac data scribendi occasione pertractare et absoluere, nisi uiri ornatissimi a me petiuissent ut aliquid ex huius scholae annalibus publici juris facerem, quod ita a me impetrauerunt — nam ea est nostrorum comitas, ut facillime omnia eos abs te impetrare sinas — ut dissertationem quae ad litterarum studium pertineret scribendi consilium non prorsus abicerem, sed in paucarum plagellarum tenuitate acquiescere constituerem. Quare unam tantum quaestionis partem, quae est de Nigidi fragmentis pertractabo, cetera in scriniis latere iussi dum alio tempore proferre liceret. Sed jam ad propositum reuertamur. Eyssenhardtius enim qua re in errorem ductus sit si quaeris, causa in eo posita est, quod quam scholiorum imaginem animo sibi finxit, ea a vero longissime abest. Nam quod Westermannus (præf. Mythogr. p. VIIII) et G. Beckerus (proleg. in Isidori de natura rerum p. VIII) sibi persuaserunt scholiasten Germanici, nonnulla si demas aliunde petita, nihil aliud esse nisi Pseudoeratosthenem latinum factum, qui nuperrime haec scholia edidit ita pertexuit, ut singula quaeque uel Eratostheni uel Hygino adtribueret, eas autem particulas, quarum nec Hyginus nec Eratosthenes auctor euaderet, uel ipsius scholiastae additamenta uel Nigidi reliquias esse diceret. Qua ratione tantum abest ut illam quae hodie uulgata est sententiam probauerit, ut sustulerit eam et uanam esse effecerit. Etenim scholia euaserunt ita conferruminata, ut qui strictim perlustrauit ea isto modo conflata esse non posse intelligat. De Hygino jam Bursianus l. l. recte judicauit, uno hoc loco de quo agimus eum qui scholia, quae in cod. Paris. et Basil. leguntur — scholiorum quae codices recentiores Italici exhibent alia ratio est — congessit, fabulam ex Hygino petisse, præterea nusquam eius libris usum esse. Argumento uero, quo sententiam suam fulcire studet, haud multum tribuo. Hyginus enim de Callisto haec: quae cum in silua ut fera vagaretur, a quibusdam Aetolorum capta ad Lycaonem pro munere in Arcadiam cum filio est deducta. Ingeniose Bursianus Hyginum in Eratosthenis libro, quo uteretur, ΑΙΤΩΛΩΝ pro ΑΙΠΟΛΩΝ legisse coniecit. De falsa αἰπόλων uerbi scriptura consentio, Eratosthenem num Hyginus secutus sit, hic pro incerto relinquam; quodsi uero scholiasta recte „a quibusdam pastoribus“ scripsit, hoc caue argumentum ducas, eum om-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nino Hygini libris non usum esse, quia hanc fabulam non ex Hygino sed ex Eratosthene eum sumpsisse docemur. Procedat alia fabula de Hyadum sidere imprimis idonea qua probemus quae sit ratio eorum locorum, quos scholiasta ex Hygino petisse dicitur. Magna in hac fabula praesertim si uerba respicis inter scholiasten et Hyginum dissensio. Ne in Hyadum quidem nominibus consentiunt. Atque unde scholiasten haec sumpsisse putas: Myrtilus autem Hyades quinque filias Cadmi esse dicit? apud Hyginum frustra requiris, ad scholia graeca in Aratum nobis refugiendum, quae ad v. 172 haec praebent: ὁ δὲ Μυρτίλος τὰς Κάδμου θυγατέρας (Ὑάδας φησὶ γενέσθαι). Quid igitur, haec ex Hygino excidisse putemus? Ea autem quae apud schol. p. 397 leguntur: magnam apud homines dignitatem habent quod omnibus honoribus significant, Hygini esse haud fere cuiquam persuadeas. Hyginus enim: et hae quidem, inquit, ampliorem ceteris habent honorem, quod earum signo exoriente aestas significatur, occidente autem hiems ostenditur. At in libris mss. non honoribus scriptum est sed oris uel horis, in quibus nihil aliud inesse apparet quam græcum uocabulum ὥρα, quomodocumque uerba emendanda esse uidentur. Graecos autem auctores scholiasten secutum esse constat. cf. Breysig. Phil. XIII. p. 661. Ad Eratosthenem quod attinet peto abs te ut conferas cat. 1, 2, 7, 8, 9, 20, 24, 26, 36, qui omnes non una ex parte de scholiis Germanici dissentiunt. singula tractare nolo, cum haud fere noui quidquam de singulis fabulis afferri possit, taedeat easdem ubique decantare minutias.

At similitudo inter catasterismos, scholia Germanici et Hyginum intercedit, quanta maior esse uix potest. Audio, neque tamen ea est, ut uel Eratosthenem et Hyginum ab scholiasta uel ab iis scholiasten transscriptum esse iudices. Immo maxima pars scholiorum in Caesaris Germanici Aratea ex antiquorum grammaticorum commentariis quibus Arati carmina aliquando instructa fuerunt transscripta est, quibus hypomnematis aeque ac scholiasta Germanici Pseudoeratosthenes et Hyginus usi sunt. Iam initium scholiorum quid aliud nisi commentarius phaenomenon Arateorum, cuius fontem Breysigius recte indicauit scholia Arati et περὶ ἐξηγήσεως caput quod in uita Arati (Buhle II. p. 423) exstat? Nonne hac re ultro eo perducimur ut cetera quoque ad eundem fontem referenda esse statuamus? Cur Pseudoeratosthenem arcessimus et Hyginum, qui ne ipsi quidem sufficiant? Atque si quis ne scholia graeca quidem quae in manibus sunt sufficere dicit, caput illud περὶ ἐξηγήσεως peropportune nobis seruatum est quod doceat, quae fuerint aliquando haec scholia. Quam si probas sententiam minime dubitabis, quid de uerbis (schol. p. 418) „haec sunt siue signa quae planetae appellantur“ iudicandum sit, quae uerba et Schaubachius et Eyssenhardtius deleuerunt, equidem reliquias esse existimo scholii latini, quod respondebat schol. græc. v. 389 Ἄλλοι δὲ σποράδην ὑποκείμενοι Ὑδροχοῇ: μνημονεύει δὲ αὐτῶν πάλιν διὰ τὴν προ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

εἰρημένην αἰτίαν, ὑπὲρ τοῦ μή τινα πλανηθῆναι ἰδόντα αὐτοὺς ἐν τῷ νότῳ κειμένους, quae scholiasta non recte interpretatus est. — Neque uero desunt necessitudinis uestigia inter scholia graeca et Pseudoeratosthenem. Cf. cat. 1 = sch. u. 27, cat. 9 sch. 105, cat 11 sch. 147, cat. 12 sch. 149, cat. 14 sch. 167, cat. 17 sch. 148, cat. 18 sch. 215, cat. 20 sch. 233. Ea scholia de industria omisi, in quibus Eratosthenes laudatur; tria sunt, u. 225, 402, 469. — Ad Hyginum quod attinet cf. sch. u. 39: Καὶ ἅμα ὁ εὑρετὴς αὐτῆς Θαλῆς εἰς Φοίνικας ἀνάγει τὸ γένος et Hyg. II. 2: Thales enim, qui diligenter de his rebus exquisiuit et hanc primus arcton appellauit, natione fuit Phoenix. Profert autem hoc loco Hyginus quae de ursa in scholiis Arati leguntur totidem fere uerbis paulum immutatis. Quae de Engonasi v. 74 ab interprete Arati Graeco leuiter indicantur, pluribus uerbis Hyginus II. 6 exponit. Cf. praeterea schol. gr. u. 62 = Hyg. IV. 3 s. f. sch. u. 146 = Hyg. II. 24, sch. u. 161 = Hyg. II. 13, sch. u. 254 et 259 = Hyg. II. 21, sch. u. 275 = Hyg. II. 8, sch. u. 316 = Hyg. II. 17. Qua in re noli obliuisci me ea tantum enumerare, quae Hygino cum Arati interprete graeco communia nec ab interprete Germanici nec a Pseudoeratosthene narrantur; in quibus Hyginus cum Pseudoeratosthene consentit, ea consulto omisi. Quo facilius quanta in his mythographis scholiorum graecorum Arati sit auctoritas intellegas paullo uberius exponam de Comment. Germ. u. 433 p. 420: Hic PRIOR dicitur, qui oritur priusquam maior canis, qui Orionis canis dicitur eique tributum, quod studio uenandi est deditus, ob quod ursa ei proxime apparet et aliae bestiae. habet stellas III. cuius prior est et eidem paret ut canis maior. ideo et PROCYON uocatur, quod ante maiorem oriatur. Quibuscum si non catasterismos sed Schaubachii interpretationem catasterismorum latinam confers, Pseudoeratosthenes et scholiasta Germanici admodum inter se consentire uidentur: apud utrumque omnia obscura, omnia eodem modo perturbata. Verum autem si quaeris, scholia latina minime cum Eratosthene consentiunt. Graeca Erat. haec: Αὐτός ἐστιν ὁ πρὸ τοῦ μεγάλου κυνός. προκύων δὲ λέγεται ὡς πρὸ τοῦ κυνός. Ὠρίωνος δὲ κύων ἐστίν. λέγεται δὲ διὰ τὸ φιλοκύνηγον αὐτὸν εἶναι ἀνατεθῆναι τοῦτον αὐτῷ. καὶ γὰρ λαγωὸς ἐχόμενος, καὶ ἄλλα θηρία παρ' αὐτὸν συνορᾶται. ἔχει δὲ ἀστέρας γ', ὧν εἷς ὁ πρῶτος ἀνατέλλει λαμπρός, [καὶ ποιεῖ ὁμοιότητα τοῦ κυνός,] διὸ καὶ προκύων καλεῖται, καὶ πρῶτος ἀνατέλλει καὶ δύνει ἐκείνου. Facile intellegitur, Pseudoeratosthenem non dicere Procyona ante canem, sed stellarum e quibus sidus constat unam priorem ceteris exoriri. Rectam huius loci interpretationem praebent scholia graeca u. 450. λοιπός ἐστι Προκύων, ὑπὸ τοῖς Διδύμοις κείμενος. καλεῖται δὲ οὕτως, ἐπειδὴ πρὸ τοῦ Κυνός, ἑῴαν ποιεῖται ἀνατολὴν ἐν τῷ δι' Ἑλλάδος κλίματι, ὅτι τοῦ Κυνὸς βορειότερός ἐστιν· ἀστέρων δέ ἐστι δέκα λαμπρῶν οὗτος, ὧν εἷς ὁμωνύμως Προκύων. || οὗτος δὲ πρὸ τοῦ μεγάλου Κυνός ἐστιν· Ὠρίωνος δὲ λέγεται Κύων, ἐπειδὴ φιλοκύνηγος ἦν. διὸ καὶ ταῦτα αὐτῷ περιτέθειται τὰ σημεῖα· καὶ γὰρ Ἄρκτος συνορᾶται καὶ θηρία παρ' αὐτῷ. Duo hic scholia temere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coniuncta sunt, quorum alterum, οὗτος δὲ πρὸ κτλ. in initio catasterismi legitur, alterum demonstrat Eratosthenis uerba διὸ καὶ προκύων κτλ. quomodo debeant intellegi; Germanici autem scholiasta cum Arati interprete graeco magis quam cum Eratosthene consentit. Verba cuius prior alterius scholii initium esse contendo et emendo canis prior.

Quodsi ea est quam exposui scholiorum latinorum Germanici ratio, haud magna afficimur difficultate, qua ratione ea expediamus, quae nec ad Pseudoeratosthenem nec ad Hyginum referre liceat. Quo ex numero sunt quae p. 414 leguntur haece: Cuius (canis) exortus origine continetur tali, ut Amphion tragoediarum scriptor refert. cum subito hominibus segetes delinquerent, ilico missus legatus canis ad Oporam. cum uidit eo tempore tempestiuam esse, adamauit. qui cum flagraret amore nec posset frui [magis] asperius urebatur. at homines calamitate accepta deos adiutores inuocare coeperunt. tunc Aquilo misit filios adulescentes, qui Oporam cani traderent. ipse flatu suo canis ardorem sedauit, qui flatus etesiae dicuntur. amoris autem memoria remansit eo tempore quo est ὀπώρα, quo homines aestu mori frequentissimum. Nihil in his uerbis, quod Nigidi ingenium redoleat, nisi id quod unde ea sumpta esse dicas, si uulgatam de scholiis opinionem sequeris, laboras; graecum auctorem et res indicat et oratio. Fabulam typis describi iussi, quia quae codicum scriptura mutata uiri docti ediderunt dubito num recte se habeant. In libris enim manu scriptis legitur: cum sub hominibus stellae relinquerent locum. Eyssenhardtius quae Breysigius excogitauit in editionem suam recepit, quae ei placere potuisse, satis mirum est. Offensioni fuit quod stellae locum reliquisse dicuntur; ridiculam si dicis esse sententiam, esto, sed multa in his fabulis, quae risum moueant. Atque concedamus scholiasten non recte graeca uerba esse interpretatum: non nostrum est scholiastae aut falsam interpretationem aut barbariem corrigere. Neque uero pro argumento, quo codicum scripturam mutandam esse demonstraretur, id poni potuit, quod iis uerbis causa indicaretur, ex qua ad oporam canis missus esset. Quae in fine fabulae corrupta leguntur: eo tempore quo opora estidest pomatio eseumoriri feruentissimum, ea optime Breysigius emendauit ita: eo tempore quo ὀπώρα est [id est pomatio] eum oriri feruentissimum, quam coniecturam Eyssenhardtius non debuit repudiare. Quae p. 392, 13—25 leguntur num ex Nigidio sumpta sint, admodum dubito. Erat cum et ipse Nigidium agnoscere mihi uiderer in his uerbis: ambosque inmortali honore donatos astris intulit, quam uerborum coniunctionem eum adamasse constat; sed fabula etiam apud Pseudohyginum legitur, qui si e graecis auctoribus eam hausisse putandus est, cur aliud de Germanici scholiasta iudicandum esse uideatur non adsequor. Qui restant quattuor loci, p. 421, 13—17, p. 421, 27—422, 3, p. 422, 5—8, 16—22, a Nigidio prorsus alieni sunt. P. 421, 13

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haec eduntur: de his (de planetis) hae non quae Heraclides Ponticus refert Prometheo pulcherrimum fictum hominem. quem cum oculisset * * * * * * et cupido et uitia. ut indicasset misit Mercurium qui eum tamquam ad inmortalitatem uocaret, qui non ante adnuit, quam potione accepta coelo receptus honoratus. Eademque in libris mss. leguntur, nisi quod pro uitia uitio exhibent. Pro hae non quae Eyssenhardtius speciosius quam uerius Eratosthenes scribendum esse coniecit, equidem emendo: Phaethon quem. Neque cum eo facio in iis quae secuntur; lacunam reicio et Hyginum respiciens, qui II. 42 eandem fabulam ex Heraclide Pontico affert, locum ita emendasse mihi uisus sum: quem cum occulisset et cupido eum Ioui indicasset. P. 421, 21—422, 3 in libris foedissime corrupta leguntur, quae Hyginus II. 42 Eratosthene auctore de Vulcano narrat. P. 422, 3 leguntur haec: [quartum sidus Veneris, Phosphoros colore aureo, maior omnibus sideribus, quem Hesperum et Phosphorum esse dicunt.] est autem pes et caput ob amorem ex apyceranuit. Quae uncis inclusi Eratostheni tribuuntur, quae sequitur insanabilis codicum barbaries ad Nigidium refertur. Eyss. tale aliquid subesse suspicatus est: est Aurorae et Cephali filius. ob amorem Aphrodite rapuit. Si quid uideo, pes uocabulum ex 'Ηοῦς corruptum et caput nihil aliud est quam Κέφαλος græcum uocabulum latinum factum. Haec omnia quominus Nigidiana esse coniciamus id impedit, quod e graecis ea uersa esse apparet. At Nigidio uindico quae p. 388 leguntur de Icario et Erigone. Narrasse enim Nigidium hanc fabulam Ampelius auctor est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf